

ut quicquid uobis relinquerem: quod uisui mihi esset: & uoluptati. Facili negotio captam militi tradit non diripiendam solum: Sed etiam deuastandam Templis sacrisque edibus maxime infensus: Qui ea urbs catholicae fidei caput teneret. Cuius ob perfidiam Arrhianam agebat hostem infestissimum. Per hunc precipue modum Africa illa Romani imperii emula: a Romanis bis uicta tanta cum gloria rediuiuis quasi cineribus exsuscitata Romam uicissim captam subegit diripuit ac uastauit: Ingens exemplum uel imbecillitatis: uel instabilitatis rerum humanarum. Absuit quattuordecim dies populus ab spoliata ac deserta urbe. Satisque inter omnes scriptores constat. Vandalum longe maiori crudelitate crassatum: quam quinquaginta antea annos Alaricum: siquidem sacris ille ubique locis pepercit. Vandalus quasi Deo hominibusque hostis sine discrimine sacra profanaque omnia depopulatus est. Mouens ab urbe campania omni direpta: Vrbe capua uic capta: & solo equata completis nauibus Italica praeda honustis: cum Eudoxa in Africam est reuersus. Excitati Romae continuo maiores quam antea motus. Nam sexdecim per annos caput extulere tyranni decem: Imperiumque diripuerunt. Caedes direptiones bonorum proscriptiones enumerare maioris esset negotii quam receperimus. Repleuere omnia stragibus & rapinis: infelici omnium tyrannidum euentu. Et tanta tamen est inter mortales dominandi libido: ne dicam insania furorque: Ut per mortes & uulnera in apertissima quaque pericula mortales mittat. Rem dignam admiratione: nisi quod assidua armorum tractatio: & metum mortis adimit: & ad omnia audenda compellit. Eam Gensericus rursus repetendi Imperii nactus occasionem quasi deseruisse captam a se Romam: & Imperium poeniteret: Maiorem quam antea ex omni Africa contrahit classem. Sua ne id sponte ac desiderio molitus sit: an uero impellente. Eudoxa coniuge superba femina. Quae in exilium potius sibi profecta: quam ad regnum se dignum existimabat: incertum. At uero leo primus Ex greca gente orientis Imperator: ut primum quid Vandalus moliretur intellexit ferre: & ipse suppetias Romanis instituit. Antemius imperium tenebat: & Basiliscum quendam classi praefecerat. Ipse ad urbem quibus cum potuit copiis sedere constituit. Contraxit maximam classem Basiliscus. Ambae autem insimul iunctae Romana uidelicet & graeca: Gensericum offendunt apud Populoniam Etruriae urbem iuxta eam quae nunc Plumbinum appellatur. Superior uento Romanus agilitate praeterea nauium & nautica disciplina praestantior tanto ardore in hostem fertur: ut Gensericus seu ob nauium multitudinem turbatis ordinibus: seu pauore compulsis: irruentis in se hostis uento superioris: fugam arripuerit. Idem caeterae faciunt naues. Perque hunc modum maxima potentissimaque classis dissipata Post Antemium Richimer olimbrius: post Richimerem: ac deinde Glicerius Nepos postea: tum augustulus & Orestes Imperium rapuerunt. Quae tum